

tertius casus de sententia excom. ; Quarto, limitatur in casu quo factum esset divortium inter maritum, & Uxorem, quia tunc ratio Vinculi non compellit ad communicandum, Bonac. de excom. disp. 2. q. 2. puncta 6. §. 2. num. 23.; Quinto, limitatur si Maritus esset excommunicatus ob haesim, & maximè sit periculum perversionis, Sanchez dicta disp. 14. num. 11., Ricciol. d. c. 48. num. 39.

17 Peregrin. de fideicom. artic. 42. num. 96., & Fusar. de substit. q. 531. num. 43., quærent utrum in vim Auth. Resque C. communia de leg., possit alienari bona fideicommissio subiecta, non solum pro dotanda filia, vel nepta, sed etiam pro interesse decurso propter dotem non solutam, puta Frater dedit Sororem Titio in matrimonium, promissa dote mille aureorum, quam per decem annos neglexit consignare, post eos vult alienare bona fideicommissio subiecta, non solum pro summa promissa in dote, sed etiam pro interesse decurso toto decennio in ratione septem pro centenario, & anno, ut vel ex Statuto, vel consuetudine regionis

De Negligentia Medicorum.

S U M M A R I A.

- 1 Culpatur in committendo Medicus, qui unico Collirio vult omnium oculos curare.
- 2 Præstat Medicum non habere, quam imperitum habere.
- 3 Negligentia Medici definiri potest, prætermisso faciendorum ad salutem hominis, ex animi ignavia, quæ ommissio potest esse cum dolo.
- 4 Medicus non debet omittere curam Egroti, etiam si nolit peccata sua confiteri.
- 5 Plures explicationes Doctorum afferuntur ad text. in c. cum infirmitas de poenit., & remiss. & Decretum B. Pii V.
- 6 Si ex negligentia Medici Egrotus damnum patiat, tenetur Medicus ad restitutionem damnorum, si sit stipendio ductus.
- 7 Immo fuit aliquorum Doctorum sententia, quod si ex negligentia Medici Egrotus moriatur, Medicus incurrat irregularitatem.
- 8 Neque excusatur à culpabili negligentia, si nequeat promptè salarii consequi.

disponitur, & Peregrinus fuit in sententia posse alienari, nam licet pro utraque parte alleget, in fine tamen videtur approbare sententiam affirmantem, nam licet text. in Auth. Resque disponat pro capitali tantum, attamen, quod potest obligari pro sorte, potest & pro Usuris ex ibi per eum allegatis, Fusar. verò contrarium respondisse scribit, nam negligentia Mariti in exigendo capitali, & fructibus sibi debet nocere, & non aliis, temperat verò, si negligentia Marito non posset imputari.

18 Giraldus Dialogo 8. Hist. poetica, refert casum curiosum de siculo, qui habebat arborem in horto suo, in qua tres ejus Uxores inertes successivè propter Viri negligentiam, & malam custodiam, se suspenderunt, neque arborem obtruncare curavit, sed dum conqueritur cum amico de tanto infortunio, qui forte Uxorem habebat inutilem, & inertem, hic ab illo instanter petiit ex ea arbore furculos, quos in horto suo plantaret, & arbor fieret, qua paratum esset remedium Uxoribus negligentia, & inertia; & arbor multiplicaretur.

- 9 Limita primò, hoc intelligendum si Medicus cognoscat ex sua defectione egrotum esse moriturum.
- 10 Limita secundò, si in loco non sit alius Medicus, qui possit ad curam egroti vocari.
- 11 Limita tertio, si egrotus recuset dare stipendia Medico, dum potest.
- 12 Quod sublimita, si non sit alius Medicus in loco, qui possit, & sciat egrotum curare, tunc tenetur curam proseguere.
- 13 Dicta de incurso irregularitatis, habent locum attenda sententia, quod ex influxu negativo incurratur Irregularitas, secus ex opposita probabiliori sententia.
- 15 Negligens est Medicus, si omittat studere iis, quæ pro cura egroti necessaria sunt attentis circumstantiis.
- 15 Negligens est, si omittat visitare infirmos toties, quoties opus est.
- 16 Negligens est, si omittat admonere infirmum, quod gravatur infirmitate, sufficit tamen si hoc faciat per alium.

17 Si non

- 17 Si non admoveat de Imminente periculo mortis.
- 18 Negligens est, si renuat mederi pauperes egrotos, eo quia non habent unde mercede solvant.
- 19 Negligens est, si exactè, & prudenter non curet observari præcepta Ecclesie, ut de observantia Quadragesimali.
- 20 Per Paulum Zaccobiam describuntur plures casus, & modi, quibus Medicus possit esse negligens.
- 21 Medici negligentes in foro externo non solent puniri, at in foro conscientie rationem Deo reddent.
- 22 Instantia pro consequendis lecturis per quosdam DD. Medicinæ, & Philosophiæ Doctores facta contra alios, quibus fuerant collatae lecturæ, ex capite majoris diligentie actorum, & negligentie Reorum in legendo.
- 23 Dominos Reos conventos esse manutenendos in sua possessione vel quasi fuit Verbum Auctoris.
- 24 Exceptio absentie à Civitate per annum contra unum ex Reis.
- 25 Sed tanquam irrelevans recitatur, quia obtinuerat facultatem à D. Judice sapientum, & uno ex Reformatoribus, tertio absente, & non à tota Congregatione.
- 26 Judex Sapientum, & Reformatores tanquam capita, & principales in hoc totam congregationem representant.
- 27 Judex Sapientum, cum solis Reformatoribus consueverunt concedere tales facultates.
- 28 Congregatio hunc usum novit, tacuit, censetur approbasse.
- 29 Decreta requirentia licentiam à tota congregatione concedendam non constat fuisse sufficienter publicata.
- 30 Neque præsumuntur publicata.
- 31 Sub fide publica concessa debent sustineri.

- 32 Qui operatur auctore Prætoris, non delinquit.
- 33 Dubium est utrum decretum emanatum de anno 1674. sortitum sit suum effectum.
- 34 Actores non habebant qualitates requisitas de tempore absentie Rei.
- 35 Reus reversus in patriam continuavit in possessione sue lecturæ.
- 36 Congregatio certiorata de reasumpta lectura tacite censetur approbare.
- 37 Reus conventus non potest privari jure suo sine culpa, & sine causa.
- 38 Actores asserunt Reorum negligentiam, & ad probationem producunt fides Bedelli, num. 39.
- 40 Plures exceptiones, obscuritates, incerta, patitur fides Bedelli, unde non probat, & num. 49.
- 41 Expenditur cap. 14. Constitutionum Studii, & declaratur, num. 42.
- 43 In obscuris, incertis, & non clare probatis intrat reg. quod Reus absolvitur, num. 44. 45. 46.
- 47 Major diligentia asserta debet comparativè probari.
- 48 Qui præten dit habere aliquod Jus, debet illud probare, & interim possidens manutenendus est.
- 50 Ad effectum manutentionis sufficit obscurare probationes Actorum.
- 51 Qui non legit ex defectu Audientium, non dicitur negligens.
- 52 53 In pari concursu re integra ad Cathedram Vacantem, sufficit docere sua requisita, secus re non integra, Cathedra non vacante.
- 54 In Evangelio Mathei cap. 25. talentum auferitur negligenti, & committitur diligenti.
- 55 Arbitrarium est Judici quanta fides testibus sit adhibenda, attentis gradibus, & qualitatibus eorundem.

ARTICULUS XXVI.

De Negligentia Medicorum.

Institutum nostrum est agere de culpa in omittendo, non verò in committendo, unde non facit ad nostrum institutum, quod notatur in c. Necessesse d. 29., ubi quod imperitus Medicus uno collyrio vult omnium oculos curare, & quod imperitus Medicus est tamquam

pestis in Patria, tot inficiens, quot tangit, ut ait Alberic. in l. Providendum in principio C. de postulando.

- 2 Hinc refert Rebus. ad l. Galie tom. 3. tit. de mat. possess. glos. Unica num. 13., quod Scoti mittunt Medicos Juvenes in Angliam, ut ibi se exercent in gravem inimicorum perniciem, Ripa de peste c. 7. num. 7., ubi quod

poena extraordinaria saltem deberent puniri, *Menoch. de sub. Jud. c. 581.*, ex quo approbati non potest de facili dictum *glos.*, & posteam *Farinac. de homicid. q. 120.*, nu. 76., quod idem sit nullum Medicum adhibere, ac imperitum adhibere, quia si imperitum adhibeas positivo influxu facilius enecaris, unde magis placet dictum *Roderic. à Castro relatum per Zachiam q. q. medico leg. lib. 5. tit. 2. q. 3. num. 11.*, quod scilicet præstat Medicum non habere, quam imperitum habere.

3 Acturus ergo de culpa in omittendo, quæ est negligentia, & in terminis de negligentia Medicorum definitur à *Paulo Zachia q. q. Medico leg. lib. 6. tit. 1. q. 1. num. 19.*, Prætermisio faciendorum ex animi ignavia, ubi *num. 30.* etiam ostendit, quod Medicus ex verò dolo possit aliquid omittere, ut si in pleuritide, aut in magna febre, aut simili morbo, absque ulla causa sanguinem detrahare omittat, ut ægrotus à morbo vitus obeat, ibique alia affert exempla.

4 Primò, dico Medicum incurrere negligentiam culpam, si ægrotum mederi negligat, aut omittat, etiam si ægrotus nolluit confiteri peccata sua monitus à Medico juxta dispositionem, *c. cum infirmitas de pœnit.*, & *remiss.*, & *Consi. B. Pij V. confirmantem dictum c. cum infirmitas*; quia desertio ista est contra ordinem charitatis, quæ exposulat proximò indigenti subvenire *D. Antonin. 3. p. tit. 7. cap. 2. §. 4. Sylvest. Verbo Medicus q. 3. d. 2.*

5 Neque obstat decretum *Pij V.* quo jubetur Medicum deserere ægrotum nolentem confiteri peccata sua, omisso quod loquatur in casu tantum periculose infirmitatis, *Navar. Manual. c. 25. num. 6.*, *Novara Summa bullar. p. 1. comment. 78. num. 2.*, ubi *num. 25.*, quod sufficeret si Medicus admoneret ægrotum per alios, quia sic menti Pontificis satisficit, *Paulus Zachias q. q. Medico leg. lib. 6. tit. 1. q. 4. num. 4.*, & *seqq.*, ubi quod Medicus teneatur admonere quoties ex conjecturis timor sit ne morbus ingravescat, & solent Medici Jurare in sumptione Laureæ Doctoralis se talem constitutionem *Pij V.* servaturos, quare Medicis prudenti iudicio remittitur. Verùm plures D.D. interpretantur hujusmodi decretum esse intelligendum, dummodò ægrotus salutis corporis dispendium non patiat, quia non est ve-

rifimilis Mens Pontificis, ut ægrotus derelinquat in necessitate corporis, & animæ, & indiscrimine salutis, quo casu fortè ægrotus desperaret, at Medico curam diligenter prosequente, ægrotus possit rescipiscere, & animæ suæ consulere, ut post *Suarez. expressè*, & præcisè verbis docuit, *Sanchez. in Summa lib. 3. c. 16. num. 10.*, tùm quia ad inutile, & frustatorium, nemo tenetur, *Barbos. in c. cum infirmitas num. 4. de pœnit.*, & *remiss.*, neque lex censetur obligare, *Jason. in l. ait Prætor num. 7. ff. de Jur. Jur.*, *Cesar Argel. de contradicere legit. p. 2. num. 200. q. 13. num. 48. q. 18. num. 18.*, congruit regula, quod lex non præsumatur superflua præcipere, quæ reprobatur *l. 1. §. quibus C. de novo Cod. fac. l. fin. C. qui admitti, Clem. exivi §. Quamvis*, ubi *Cardin. nu. 220. de verb. signific.*, *Gonzales ad reg. 8.*, *Cancel. glos. 13. num. 72.*, tùm quia lex humana nõ obligat cum tanto incommodo, & damno; Attamen multum urget Juramentum præstitum absolutè, & præcisè verbis de deserendo ægrotò nisi confiteatur, vel nisi confessarius prudenti, & rationabili causa diutius differe existimaverit.

6 Immodò quoties Medicus salario proposito ægroti curam agreditur, & omittat, & negligat ejus curam, itaut, vel morbus protrahatur, vel ingravescat, & exinde infirmus damnum patiat, ipse Medicus tenetur ad damnationem, quia ejus culpa ægrotus patitur damnum. *Medina C. de reb. restit. q. 9.*, & post eum *Reginald. lib. 10. num. 98.*, quia tunc tenetur ex justitia prosequi diligenter curam ratione contractus, *Sayr. de cens. lib. 7. c. 4. num. 5.*, nec liberum est Medico non perseverare in contractu, quia contractus, si à principio est libertatis postmodum sit necessitatis, *l. sicut C. de obligat.*, & *act.*, *Cagnol. in l. 3. n. 4. ff. de reg. Jur.*

7 Si pariter ex negligentia Medici ægrotus moriatur, ex aliquorum D.D. sententia, Medicus incurrat irregularitatem, quia qui profitetur se peritum, & diligentem de imperitia, & negligentia tenetur, *l. Imperitia ff. de reg. jur.*, *l. idem juris ff. ad l. Aquil.*, ubi de Medico, qui peritus omisit curare ægrotum juxta peritiam, & exinde damnatur, ut incurrat irregularitatem, latius scripsit *Farinac. frag. crim. p. 2. V. Irregularitas num. 427.*, *Sylvest. V. Medicus num. 1. ad medium, Paul.*

Paul. Zachias q. q. Medico leg. lib. 8. tit. 1. q. 2. num. 5., *Barbos. in c. ad aures num. 9. de etat. qual.*, & *ordin. præfic.*, & *facit tox. in c. Tua nos de homicidio*, ubi *Barbos. num. 4.*, quod Religiosus ibi declaratus irregularis, quia non adhibuit debitam diligentiam in medendo in casu de quo in textu, non defectu lenitatis, sed ex delicto in omittendo, dicit *Suarez. de cens. disp. 47. sec. 7. num. 2.*, & *seqq.*, *Sayr. de cens. lib. 7. c. 4. num. 5.*, quia ex quo voluntariè fuit negligens, censetur etiam voluntariè taliter in mortem ægroti influxisse, quia hoc non curare, est occidere, *c. absit in fin. dist. 50.*, & post eos notavit *Barbos. in c. Si quis à Medicis num. 5. dist. 55.*, mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc cum possit, non excludit, ut ex *Simaco Papa refert, Gratian. dist. 86. in principio*, & de hoc videndus est *Corradus praxi dispensationum lib. 5. capite 3. per totum.*

8 Quam irregularitatem, & culpam incurreret, etiam si negligentia, vel totalis omisio curæ in Medico proveniret, ex eo quia ægrotus non modo pauper, sed etiam dives non solveret propositam mercedem, quia Medicus potest post convalescentiam, vel sanitatem recuperatam mercedem sibi debitam implorato officio Judicis consequi, *l. Medicos C. de profess. lib. x.*, immò in concursu cæteris creditoribus præfertur *Gait de credito c. 4. q. 11. num. 1566.*, *Paul. Zachias q. q. Med. leg. lib. 6. tit. 1. q. 8. num. 2. 13.*, idedque omittendo, & negligendo influit in mortem hominis ægroti, ut ex *D. Thom. notavit Sylvest. in Ver. homicidium 2. in principio*, *Majol. de irregul. lib. 2. c. 12. rub. de Medicorum irregularitate nu. 4. & 5.*, *Sayr. de cens. lib. 7. c. 4. num. 5.*, oportet tamen, ut negligentia sit lata, & mortalis, ut notavit *Layman Summa lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 10. num. 4. Ver. 4.*, & nos diximus de negligentia in communi.

9 Pluribus tamen modis notabiliter limitatur hæc ultima propositio.

Primò, quod tunc tantum Medicus incurrat irregularitatem negligendo, aut omittendo curam ægroti, non sibi solventis mercedem, si expressè cognoscat ex sua negligentia, & desertione ægrotum moriturum.

10 Secundò limitatur, tunc tantum incurrat irregularitatem, quando in loco non essent

alii Medici, quia si in loco sunt alii Medici, ægrotus sibi debet imputare, si cognoscens negligentiam Medici, primo ad sui curam vocati, alium Medicum non advocat, dum facile potest, ut notavit, *Majol. lococitato*, & post eam *Farinac. frag. crim. p. 2. V. Irregularitas num. 429.*, licet *Sayr. loco citato*, existimet ipsum Medicum teneri advocare alium æquè bonum, cuius dicti, nec auctoritatem, nec rationem video.

11 Tertio Limitatur. Si ipse Medicus petierit stipendia sibi debita ab eo, qui potest tunc dare, & nolit persolvere, *Paul. Zachias q. q. Medico leg. lib. 6. tit. 1. q. 8. n. 12.*, quia Medicus rationabiliter dicere poterit ex contractu conveni, ut ego operas, & peritiam meam insumam in tui curam, tu verò mercedem, aut diurnam, aut mensalem juxta conventionem exburses, si ergo tu deficias à tua obligatione, ego non teneor ad promissa, quia contractus fuit conditionatus, saltè tacitè (si, & quatenus solvas mercedem,) quia ex contrahentibus unaqueque pars debet suas implere obligationes, *l. quero §. Inter locatorem ff. locati, l. Julianus §. offeri ff. de act. empti, cum aliis per me allegatis supra p. 1. art. 2.*, sub limitatione 3., ubi quod debitor non incurrat negligentiam, quando contra alteram partem, seu venditorem excipere potest de non implemento ejus, quod vicissim promissit, & debet; Caveant tamen Medici, ne ex impulsu avaritiæ id faciant, nam hoc vitium avaritiæ familiare esse Medicis asserunt, *Mascard. conf. 150. num. 3.*, *Paul. Zachias q. q. Medico leg. lib. 6. tit. 2. q. 3. num. 1.*, & *eod. lib. tit. 3. q. 2. 8. 10.*, ubi refert Esculapium à Jove fulmine interemptum propter vitium avaritiæ, ita ut hodie nullum Medico magis avarum exclamet, *Caroc. de locato, & conduc. p. 2. rub. de Medic. q. 5. num. 5.* Quod autem temperandum est, si agatur cum Magnatibus, à quibus potest Medicus conveniētem mercedem exposcere, alias à servitio abdicare, ne artem multo æstimabilem contemptibilem reddat in pretii vilitate, *Paul. Zachias q. q. Medico leg. lib. 6. tit. 1. q. 8. n. 1.*

12 Sublimita tamen hanc tertiam limitationem, nempe si in loco non esset Medicus, qui posset, & sciret ægrotum curare, quia tunc etiam denegata sibi mercede, tenetur ægrotum curare, deindè recuperata vale.